



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1779**

**VD18 90119185**

§. 92. Concordiæ pacta inter Sabaudia Ducem, & Pedemontanos  
Calvinistas.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

animadverterent, qui vel Reipublicæ Sæc. XVII.  
 novæ normam cavillari, vel Regiæ A. C. 1655.  
 parti favere crederentur: cum igitur  
 Saresburizæ quinque nobilissimi Viri,  
 adversus Cronwelli usurpationem de-  
 clamasse infimularentur, mox exquisi-  
 tis tormentis misere cruciabantur, nec  
 tamen a sua sententia amoti, jumen-  
 torum caudis alligati per compita &  
 vicos aliquamdiu raptabantur, tandem  
 vero e collo in patibulo suspensi, raptim-  
 que funibus resectis semianimes demissi,  
 a quatuor in diversa agitatæ equis  
 crudelem in modum discerpti fuerunt:  
 alii etiam octo, eoquod Caroli Regis  
 honorem tueri crederentur, suspendio  
 vitam finire.

## §. XCII.

*Concordiæ pacta inter Sabaudicæ Du-  
 cem, & Pedemontanos Cal-  
 vinistas.*

Cum Calvinistæ Vallium Pedemonta-  
 narum incolæ ad tredecim ferme  
 suorum millia excrevissent, publicum  
 que Religionis suæ exercitium contra  
 Sabaudici Regni leges petulantius de-  
 poscerent, Sabaudi Ducis Vidua haud  
 immerito tumultum sub Religionis ob-  
 tentu conflandum verita, necnon Hu-  
 gonotarum in Galliis exemplo territa

*Hotting. hist.  
 Helvet. l. 7.  
 Tuld. l. c.  
 La Hode vie  
 de Louis  
 XIV. l. 18.*

**Sæc. XVII.** Calvinistas in S. Martini, Lucernensium, & Perusina Vallibus & alibi degentes compescere statuit, eisque per Galsandum Auditorem denunciari iussit, ut intra triduum vel suis vallibus excederent, Bobium, & Angrogniam transmigraturi, vel fidem Catholicam amplecterentur. Hi vero, ac præcipue trium præfatarum vallium incolæ, aliæque sectæ similitudine eis conjuncti, animam adversus legitimum suum Principem ac Ducem sumere haud erubuerunt, nec his contenti, Calvinistas Gallos armorum societatem incitabant, operaque Cronwelli Angliæ Protectoris implorabant, exponentes, quod multa & inhumana a Catholicis paterentur, nec alia ex culpa, nisi quod purioris Evangelii causam deferere nollent. Cronwellus igitur, ut novum suæ pietatis seu potius hypocrisis specimen daret, in universo Angliæ Regno pecunias colligi, festamque diem pro implorando Dei auxilio contra veræ Religionis hostes haberi iussit, simulque Franciæ Regi vallium illarum patrocinium mandacibus etiam literis commendavit, significans, se nunquam cum illo pacem firmaturum, nisi quantocius Sabaudia Ducis inhumanitati contra ejus subditos obviam eatur: Has minas dissimulandas existimavit Mazarinus Cardinalis.

lis, Vir majoris, quam Romanæ Pur- Sæc. XVII.  
 puræ dignitas deposceret, tolerantia: A. C. 1655.

Ejus igitur suasu Ludovicus Rex Ser-  
 vientium Legatum ad Sabaudiaæ Du-  
 cem decrevit, qui hosce motus compo-  
 nere satageret. Die igitur decima nona  
 Augusti sequentes concordiaæ leges  
 Pinarolii fuerunt promulgatae. I. Sectaæ  
 libertas ceteraque privilegia anno hujus  
 sæculi quadragesimo tertio Vallensibus  
 indulta confirmentur. II. Revocatis  
 sententiis in quosdam reos pronuntia-  
 tis, præteritorum criminum venia de-  
 tur. III. Suas domos & possessiones,  
 quas cis Pelicen fluvium, aut Lusernæ  
 possederunt, relinquunt, & Catholicis  
 vendant, pretium tamen eorum a Sab-  
 audo Duce recipiant. IV. Integrum  
 sit hisce Calvinistis, in cunctis Duca-  
 tus locis, negotiari, vendere & emere,  
 nullas tamen possessiones immobiles  
 acquirere. V. A nullo Magistratu in  
 eos ob sectam inquiratur, dummodo  
 nullibi præter loca eis assignata, do-  
 micilium figant, vel potissimam anni  
 partem resideant. VI. Nullus Calvi-  
 nista ad Religionem Catholicam vel au-  
 diendum sacrum, aut ad Sacerdotes  
 alendos, vel ad Ecclesiarum ornatum  
 quicquam conferre cogatur, & eorum  
 infantes, & quidem masculi ante duo-  
 decimum, & foeminae ante decimum  
 æta-

Sæc. XVII. ætatis annum, a parentibus non abstrahantur. VII. Illi, qui eorum sectam durantebus hisce motibus ejurarunt, pro apostatis non habeantur, etsi ad suam sectam revertantur. VIII. Calvinistarum ædes & fundi intra hos motus destructi, atque ærario addicti restituantur, reservata tamen portione ad Catholicorum Ecclesiam ibidem construendam sufficiente. IX. Prædicantes criminum rei sicut ceteri sæculares dicuntur, nec deinceps in prima instantia coram supremis Magistratibus reptentur. X. Integrum sit cuilibet Catholico tam in Judicio quam alibi denuntiare quemlibet Calvinistam de crimine suspectum. XI. Ad quinquaginta annis Calvinistæ ob illata damna a tributis eximantur, ita ut primo triennio nil, reliquis vero duobus annis in obsequium signum exiguam summam perdant. Verum hæc Ducis indulgentia obstinatos hosce Sectarios nequaquam ad sincerum obsequium revocare poterat.

## §. XCIII.

*Petrus Aloysius Carafa Cardinalis mortuus.*

*Clacon. in vit. Innoc. X.* Vix sacra comitia, in quibus Alexander VII. in Pontificem Maximum electus